
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decretos

Prot. n. 47135/12 CA

Praecepti

(Sr. N. – Congregatio pro Institutis vitae
consecratae et Societatibus vitae apos-
tolicae)

DECRETUM

Elapso indulto exlaustrationis ad triennium concesso, Suprema Moderatrix Rev.dam N., professione perpetua instituto religioso incorporatam, die 20 iunii 2011 domui in pago X adscripsit, termino diei 8 septembris 2011 ad ibi comparendum dato.

Litteris diei 19 augusti 2011 Suprema Moderatrix translationem, invocato oboedientiae voto, confirmavit et die 9 septembris 2011 praeceptum iteravit.

Petitione revocationis vel emendationis praecepti impositi die 22 septembris 2011 Supremae Moderatrici exhibita, Rev.da N. die 5 novembris 2011 adversus eius silentium ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae provocavit, quae recursum decreto diei 11 iulii 2012 reiecit, praecepto translationis expressis verbis confirmato.

Suprema Moderatrix dein processum dimissionis ab instituto instauravit et Rev.dae Sorori die 25 iulii 2012 primam admonitionem misit.

Rev.da N. tunc die 10 septembris 2012 recursum adversus decretum ei die 1 augusti 2012 notificatum ad H.S.T. interposuit petens: a) remissionem in terminos; b) rescissionem decreti Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 11 iulii 2012; c) declarationem illegitimitatis admonitionis diei 25 iulii 2012.

Petitis ac receptis actis causae pro examine praeliminari,

**SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE
TRIBUNAL**

Re sedulo examini subiecta.

Praemisso quod recursus ad H.S.T. intra terminum peremptorium sexaginta dierum (cfr. artt. 34, § 1 et 74, § 1 H.S.T. *Legis propriae*) interpositus videtur, quam ob rem petitio restitutionis in terminos non est ad rem.

Ad impugnatum decretum in decernendo perpenso quod:

– Elapso termino exclaurationis Rev.da Recurrens tenetur redire ad domum sui Instituti, ei a Suprema Moderatrice vi voti oboedientiae legitime assignatam.

– Documentum medicum contra allatum, infirmitatem domum illam adire praepedientem haudquaquam demonstrat, immo iter ab ipsa Recurrente in Galliam institutum vim illius documenti penitus tollit, dum debitam assistentiam medicam in domo assignata recipere potest.

Ad impugnatum decretum in procedendo considerato quod:

– Ante praeceptum Rev.dae Sorori impositum Suprema Moderatrix eam audivit.

– Rev.da Recurrens coram competenti Congregatione amplas defensiones exhibuit.

– Congregatio in decreto diei 11 iulii 2012 accurate et singillatim obiectionibus Rev.dae N. respondit.

Cum proinde non habeatur ullum indicium de violatione legis ex parte Congregationis in procedendo vel decernendo.

Animadverso tandem quod iurisprudentia H.S.T. non admittit recursus contra actus praeparatorios, prouti admonitiones in casu dimissionis ab instituto (cfr. decreto ab Em.mo Praefecto in Congressu latum, d. 19 sept. 2008, prot. n. 37589/05 CA).

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto.

Sepositis ceteris forte ad rem animadvertendis.

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum fundamenti.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto (cfr. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.).

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 8 novembris 2012.

+ Franciscus DANEELS, o.praem.
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ,
m.g.
Moderator Cancellariae